

SCRIPTA

Numéro Scripta : 240

Autre(s) référence(s) : Tabuteau 394

Auteur(s) : Saumur, Saint-Florent (abbaye)

Bénéficiaire(s) : Mathilde, Normandie (duchesse)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : [1055-1066]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Requête adressée par l'abbé Sigon et les moines de Saint-Florent de Saumur à Mathilde, « marquise des Normands », afin d'obtenir restitution à leur monastère de biens situés dans le Cotentin et donnés en reconnaissance de la guérison de la fille d'un duc de Normandie, par l'intercession de saint Florent

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Marchegay Paul, *Chartes normandes de l'abbaye de Saint-Florent près Saumur (710-1200)*, MSAN n°30, 1880, n° 2, p. 666-668.

Dissertation critique

Datation proposée par Paul Marchegay.

Texte établi d'après a

Christiana benignitate ac regia generositate, Normannorum marchise M. sancti salvatoris suique beatissimi testis et confessoris Florentii totus cum suo abbatte S. monachorum grec fidelis, famulatus obsequia et pro suo posse orationum suffragia.

Veneranda domina, in pago Constantino, qui quoniam tuo domino et sponso tue etiam ditioni, salvatoris Christi tocius potentie largitoris gratia, subditus est, precessores nostri magnam partem victus sui possederunt. Datam autem hanc legimus, in vita magni ad Deum intercessoris confessoris Christi Florentii, pro impetrata sanitate cuiusdam principis filie. Audi igitur, domina, preces nostras, et inter electos Christi non dedigneris tantum ad ipsum habere patronum ; non fori sed celi jura attende. Non fugit sagacitatem tuam quia, sicut ab antiquis, non juste perverse possessionis Christi retentor penam, sic restitutor promeretur coronam. Petimus ergo supplices ut, usque ad arcendum aliquantulum indigentiam nostram, elemosina tua amplificetur et in nobis pauperi Christo divitiarum tuarum partem communices aliquam.

Si tuo admonitu et consensu male hoc ablatum redditur, te beatificas, nos a paupertate sublevas ; et non solum eorum qui prius contulerunt sed et ipsorum qui postea abstulerunt animas letificas, vivis et defunctis ac pro hoc Christo compateris ; ideoque ipsi in celo, ut ait apostolus, conregnabis. Nos vero orationes atque elemosinas, per omne futurum tempus monasterii nostri, tibi communicamus ; et pauperem unum semper pro tua salute pascemus tuumque obitum quotannis sollempniter commemorabimus, et peculiari oratione, ceu illius qui nostrum fundavit cenobium, tuam animam salvatori omnium commendabimus.

Vale feliciter.

Ex multis que in regno vobis a Deo commisso antiquissime nostre cartule nobis jure deberi testantur, hec tantum vobis nominanda dignum duximus : Bernam Villam cum æcclesia ; æcclesiam que est in Karentelago ; item æcclesia que est in centena Marescana ; item mansum qui dicitur Muncel, qui est in centena Floriagensi ; Regnacum mansum ; item in Rotonicu, in villa Malago, unum mansum.

Quorum si forte aliqua tibi tuisque fuerint incognita, non tamen credas hec omnino non esse, sed potius nomina perdidisse.

Pro quibus si fructuosam nostro loco reddideris commutationem, quante remunerationis apud benignum judicem Deum, nota pro ignotis restituens, te digniter facies !